



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis  
summis philosophis repetita**

**Scribonius, Wilhelm Adolf**

**Hanoviae, 1593**

**VD16 S 5114**

Cap. IX. De modo consequendæ felicitatis.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

*Sed quomodo cum illis, qui in voluptate extremum finem ponunt?*

Quia vir bonus non potest non maximam voluptatem ex honestis actionibus capere: ideoque voluptas nequaquam a summo bono excludenda fuerit.

*Plenius hoc demonstra.*

Qua quisque re plurimum delectatur, ex ea magnam capit voluptatem: Virtutum studiosus honestis & præclaris actionibus plurimum delectatur: Ergo ex iis magnam capit voluptatem.

*Quomodo autem cum iis consentit, qui in bonis externis bonum hominis constituerunt?*

Quoniam is qui velit esse beatus, extremorum bonorum adminiculo indiget. Vix enim, aut ne vix quidem res magnas ac præclaras gerere potest, cui nullæ opes nullæque divitiæ suppetunt.

C A P. IX.

De modo consequendæ felicitatis.

*Unde autem homines assequuntur illam felicitatem, divinitusne an sua diligentia?*

Aristoteles definit primam & præcipuam felicitatis causam esse Deum omnium bonorum fontem: secundariam veró & inferiorem causam ait esse doctrinam & consuetudinem sive exercitationem hominis.



*Annón á fortuna quoq, vel casu felicitas de-  
pendet?*

1, Nequaquam. Optimum enim & perfectissimum, nō est fortuitum: Beatitudo autem optimum & perfectissimum bonum est: Non igitur fortuito contingit.

2, Item: Felicitas ex honestis & præclaris actionibus oritur: Igitur fortuna ejus causa dici nequit.

3, Tertió. Quod maximé firmum est ac stabile, non est in fortunæ arbitrio situm: Felicitas maximé stabilis, adeoque aterna est: Non igitur fortuita.

*Atqui impediunt tamen felicitatem hominũ & evertunt res adversæ?*

Res adversæ, si majores sint, vitam quidem illæ beatam labefactant, sed non evertunt. Itaque vir bonus in quamcumque fortunam incidit, nō mutat animum. Eodem modo, quo Tetragnus, qui in quamcumque partem vitur, semper sibi similis est.

*Quid veró de rebus secundis sentiendum?*

Ex felicitatem ornant, & vitam beatiorum faciunt.

*Sed unde probas felicitatem humana diligentia comparari?*

Felicitas est bonum *πλούσιον*, quod omnes sani assequuntur: Ergo necesse est, ejus causam esse ipsorum hominum diligentiam & exercitationem.



Ergo pueri, in quibus ejusmodi diligentia esse nequit, non poterunt recte appellari felices?

Non sanè: quia opus est ei, qui felix esse cupit, & virtute consummata, & vita perfecta: quorum in puero neutrum esse per ætatem licet.

CAP. X.

Homines ante obitum felices dici posse.

*Si hominum studio comparatur felicitas, cur igitur Solon statuit neminem ante obitum dici posse felicem?*

Solon propter vitæ incertos casus neminè in his terris consequi laudem felicitatis arbitratur. Similiter Ovidius ait:

-- *Ultima semper*

*Expectanda dies homini: diciq; beatus*

*Ante obitum nemo supremaq; funera debet.*

Verùm hæc sententia minus probatur.

*Quomodo ergo ostendis ante mortem homines nominari posse beatos?*

Qui secundum virtutes operatur, beatus dicitur in hac vita, & non post mortem operatur secundum virtutes: Igitur in vita quoque beati recte appellamur, & non post mortem.

*Quinam itaque recte dicuntur beati?*

Qui in exercendis virtutibus ad extremum vite spiritum perseverant: id quod etiam in breviori ætatis tempore fieri potest. *Vide Cic. in Catone majore.*